

*Jehovah Favente!*

SPECIMEN ACADEMICUM,

QUÆSTIONEM PRACTICAM:

**AN JURAMENTUM  
METU EXTORTUM  
AUT  
DOLO ELICITUM  
OBLIGET?**

BREVIBUS EXCUTIENS;

QUOD,

*ex consensu Ampliff. Facult. Philosoph.*

*In Lyceo ad Auram maxime inclito,*

PRÆSIDE

VIRO CL.

**D. N. ALGOTHO A.  
SCARIN,**

HISTOR. ET PHILOS. CIVIL. PROFESS.

ACADEMIÆQUE BIBLIOTHECAR.

*benignæ eruditorum censura*


*submittere constituit*

**JONAS FREMLING,**

*Aboënsis.*

In auditorio max. ad diem XVIII. Dec. MDCCL.

horis, ante meridiem solitis.



ABOÆ, imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

Typogr. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO

*reverendissimo PATRI ac DOMINO,*

**D. N. DANIELI  
JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI celeberrimo, diœcefeos  
Skarenfis EPISCOPO eminentissimo, Ven. Consist PRÆ-  
SIDI gravissimo, Reg. ibidem Gymnasii, & Schola-  
rum per diœcesin, EPHORO adcuratissimo, gravissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

**M**Esis in herba specimen edituro mihi, circum-  
spicientique, cujus sub auspicio Nominis in  
publicum proferrem, TU, reverendissime PRÆSUL,  
pra ceteris occurristi, cui præcerptas ante diem,  
primitias hasce desponderem. Gratiam non unius,  
neque simplicis beneficii TIBI in solidum debere pa-  
ternum larem meum, non invitus agnosco. Ante  
quam operae pretium aliquod a parte nostra constitui  
aut proficisci potuit, patrem meum pietatis, caelo devo-



VIRO

*amplissimo atque celeberrimo,*

**D<sup>N</sup>. ALGOTHO A.  
SCARIN,**

*Histor. & Phil. Civilis in alma, quæ Aboæ floret,  
academia PROFESSORI, Bibliothecæ Regiæ PRÆFE-  
CTO, & Alumnorum, qui Aboicæ sunt nationis,  
PRÆSIDI & ANTISTITI gravissimo.*

MÆCENATI MAGNO.

**Q**uo plura TUA, VIR CELEBERRIME, in  
me beneficia exstant: eo major TUI NOMINIS  
penes me quoque veneratio exsurgit. Et quo diu-  
tius intra cancellos devoti animi pietas mea de-  
lituit: eo luculentior, vinculis liberata suis, in lu-  
cem jam prorumpit. Prodit, inquam, est ha-  
bitu, quo potest, simplicissimo; idque de indu-  
stria. Accidit enim non raro, ut qua in spe-  
ciem larvis obducta fuerint, & coloribus tincta  
inani-

ta TUÆ publicum exemplum statuisti, & per de-  
serta siticulosaque erranti, ad aquæ vivæ scaturigi-  
nem, quæ penes DEUM est, viam præmonstrasti.  
Cumque TUO ministerio beneficium, quo majus al-  
liud cogitari nequit, dispensare nobisque commoda-  
re placuit D. vno NUMINI, quid quæso! e re o-  
mnium nostrum magis erit, quam meritorum TUO-  
RUM memoriam, quocumque poterimus modo, con-  
servatum ire, & DEUM, qui pia facta videt,  
obsecrare, ut TIBI longe præstantiora melioraque,  
quam quæ in nos collata sunt, retribuere dignetur!  
Tu verò devotissimi studii rationem hanc ipsam,  
qua non animi ingrati notam amoliri modo, ve-  
rum claritatem opella huic minime vulgarem conci-  
liare in animum induxi, benigne suscipe, measque  
spes atque fortunas auctoritate & patrocinio TUO  
aetatem conserva. Sic opto, sic voveo,

REVERENDISSIME PATER & EPISCOPE,  
NOMINIS TUI

*dedititius cultor*

JONAS FREMLING.



inanibus, personam non diu ferre, sed pro spuris  
identidem haberi soleant; certe quæ gravissimorum  
Virorum amori & favori sese commendent, mi-  
nus apta censeantur. Solito igitur, i. e. benignis-  
simo vultu, VIR CELEBERRIME, venerationis  
ex solido tesseram hanc ipsam, adspice & excipe.  
Hæc si mihi contigerit summa votorum, ad bene  
sperandum, signum minimè dubium; imprimis verò  
ad inoffenso pede progrediendum, exemplum mihi  
auspicatissimum sublatum esse, spei meæ impensè gra-  
tulabor. Vale, MÆCENAS benignissime, neque mi-  
nus Academiæ egregie charus, quam nationi nostræ sva-  
vis, mibique perbenignus, inter omnigenæ prosperi-  
tatis fructus, sospes & incolumis perenna!

AMPLISSIMI NOMINIS  
TUI

cultor humillimus

JONAS FREMLING

# Handelsmannen

här i Staden,

*Äreborne och Wälachtade Herren;*

# HERR WASILIUS FREMLING,

Min högtärade aldrakäraste Fader.

**E**J är det med et enda bestält, hwad som mot  
sina Föräldrar, i anledning både af naturens  
drift, så wäl som den uppenbarade sanningens  
föreskrift, et barn har at i agt taga. Bland annat  
fordras kärlek, en med lydna förknippad egenskap,  
den man bör inwärtens hyfa, tillika ock genom ut-  
wärtens ärebewisning förklara. Men lå oemotfäjeli-  
git, som sådant är, så omöjeligit är det ock, som  
sig bör, alt på det nogaste efterkomma, hälft så  
mycken tid löper ofs oförmärkt undan ögonen, som  
wi icke weta besinna de swagheter rätteligen, som  
äro de fläste af ofs, i ungdomen widlådande.

Hwad



Hwad mig angår, tiltår jag mer än gerna, at så stor orsak jag har at fågna mig af *Min käreste FADERS* ömhjertighet om min wälfärd: så gramse och mislynt finner jag mig ock, när jag på andra sidan skådar an min förra owetenhet, och nu warande oförmögenhet at sådant alt rätteligen erkänna och afbedia. Er nit för min wälfärd har syftat egenteligen ther hän, at jag, som andre mine wederlikar, måtte kunna förfakra Eder, at det hop icke warit såfångt, som J om min förkofring fattat. Men emedan vägen är så sliprig, som mångfaldig, innan man kan komma någon wärt på den wädjobanen som förestår, hoppas jag, Min käre *FAR*, icke allenast urfaktar, at jag förr icke hunnit giöra min käre *FADERS* åstundan tilfyllest, utan tillika ock så wälwiljogt emottager detta mit första lärospån, som jag det samma frambär med al barnslig tilgifwenhet, samt förböner til den Alrahögste *GUDEN*, han tackes unna mig den glädien, at se min käre *FADERS* wältrefnad än i många wälsignade tider grönskas och förmeras. Framhårdar med al wördnad,

*Min högtärade aldrakäraste FADERS*

ödmjuk lydigste Son

JONAS FREMLING.

# Handelsmannen och Bryggaren

I Stockholm,

Äbberorne och Högwälagrade

## HERR SIMON VIRE,

Min högtärade k. Morbroder,

**J**U längre jag väntat på den dagen, då jag offentliggen måtte kunna betyga den wördnad, som för EDER, min käre MORBRÖDER, ifrån späda barndoms åhren i mitt inre legat förborgad: ju större är nu fagnaden, då den wisar sig med så många gode märcken i sjelfwa gryningen. Märcken slike, et för alle, är at jag i mitt förhafwande med ej mindre wällignelser än wälgerningar af både närmste och fiärmare Anhörige blifwit styrkter och understödder. Bland the senare, som J, min k. MORBROR, så eljest, som hälft i de nyligst widt utseende tider, tagit en besynnerlig del i wårt öde och olycka; i betrachtande hwaraf det, för ingen del will skicka sig för mig at vara känslö-lös: Så hoppas, som och anhäller jag hos min k. MORBROR på det wördfamste, han täckes taga tilgoda blomman af den plantering, hwars wärd och tilwäxt J för detta låtit EDER wara så ganska angelägen. Min oafätelige önskan är, at detta mit första sinnes afwel måtte af min k. MORBROR, på des sida, bli med så mycken ynnest och kiärlek mottagen, som den, under innerlige böner och förböner för EDER och EDER hela wärdnads beständige wälgång, å min sida trohjerteligen ofras och frambäres. Då jag intet twiflar, mig ju hädanefter, som härtills medgifwit warder at bära namn af

Min högtärade k. MORBRORS

ödmücke tjensere

JONAS FREMLING.





Q. F. F. S.

§. I.

**I**N ceteris, quæ in vasto hocce Univer-  
si systemate conspiciuntur, sapientiæ  
Divinæ documentis, certe non mini-  
mum est multiplex illa & infinita va-  
rietas, quæ, ad stuporem usque & admirationem o-  
mnium, quorum interest, in maximis juxta ac mi-  
nimis elucet. Conspicitur illa non in accidentibus  
solum, verum etiam essentialibus, & quæ in ipsis  
sui agnoscunt rationem; attributis. Apparet in enti-  
bus inanimatis suo modo; prodit verò sese maximè  
in animatis, sua non ambigua via atque ratione;  
idque non tantum in subjecto rationis experte quo-  
cunque, sed in primis iis, qui humanam speciem  
atque figuram in fronte gerunt. Quod verò di-  
versitas maxima etiam in hisce sese exferat, quam-  
vis quoad essentiam a se invicem minime distent,  
non longe videbit, quisquis ad facultates animæ,  
earumque constitutionem atque dispositionem; aciem  
mentis suæ protenderit. Sive enim dissimilitudinem  
eandem consuetudini, sive educationi & exercita-  
A tioni

tioni tribuerimus, id perpetuò certum manet, quod ad exferendum animi vigorem, difformi quam maxime cupiditate agitemur homines. Intellexit idem multo ante veneranda antiquitas, suumque de illa multiplici hominis natura consensum apophthegmate brevi (a) confirmavit. Pro veterum effato, qui hodie sunt homines fidem suam quoque interponunt. (b) Et si vel cetera deessent, quibus, ut vultus, ita quoque dispariles sensus generis nostri probari possent, sufficit in rem præsentem excitare testem juris, multiformi discussione prope inextricabile visum, problema illud, cujus a capite disquisitionis hujus mentio prostat. In quo enodando cum actum egisse censeantur viri eruditi multi, quid rudi nullaque forensi exercitatione instructo mihi fit metuendum, non e longinquo prospicio. Ut-  
cun-

(a) Tritum proverbium, quod tempore nullo evanesceat, sic sonat: *Quot capita tot sensus*. Monemur eodem concordes adeo animos ægre reperiri, ut una mente, uno animo semper sibi similes deprehendantur.

(b) Pro veritate ejusdem effati sententiam non obscure dixit Vir πολιτικῶς λόγος baro de *Holberg*, cum occasione singularis actus a rege suo perpetrati in hæc verba erumpit: *Det år ingen ting i Veriden sig mera uligt, än en Menneiska*. *Homine nullam rem magis sui dissimilem invenies*. Appetentiæ vero averfationisque dissimilitudo tanta si semet prodatur unius hominis ingenio, quid, quæso! de illa difformitate, illa pugna sentiendum, quæ ex ingeniorum multo plurium diversissimo habitu, in oculos hac illac apertissime incurrit?



cunque verò illa res sese habeat, Tuum erit L. B. si, quàm ferre potero, plus oneris memet sustulisse intellexeris, non temeritatis suspicione me gravare, verum in re difficili nisum meum allevare potius, & ne ignominiose succumbam, placidè & comiter adlaborare.

§. II.

**M**ultum collocarunt studii in doctrinâ de *juramento*; ejus indole, materia, forma & quæ reliqua sunt, explananda varii. Utrum verò ab eodem, a parte jurantis, non per omnia spontaneò, resultare poterit obligatio aliqua? antequam ad argumenti tractionem propius deventum fuerit, penitius introspicendum. Cum verò ad ingrediendum felici pede iter illud, ad propositum pertineat, ut præmittatur a nobis, quid per *juramentum*, & cetera, quæ fert rubrum, intellectum voluerimus; sciendum est per *juramentum* nosmet intelligere assertionem religiosam, qua DEi misericordiam aut iram, pro diversa juramenti constitutione, in nos provocamus. Definiunt alii per *deliberatam DEi, ceu Vindictis, invocationem, nisi quod promissimus, præstare voluerimus*. Apertè magis accurateque notam illam, qua ab assertionem *simplici*, religiosa hæc ipsa distinguitur. Dn. D. *Hassen* in sua de scientia Morali synopsi expressit, quando *juramentum* esse dicit *vindictæ Divinæ provocationem*, sub conditione mendaciæ aut perfidiæ, justam ob causam legitimè factam. De *metu*, illa mentis nostræ magna trepidatione ex opinione instantis mali; sciendum, non nobis in

præsenti rem esse cum vano metu, seu *periculi ex-  
 pte vecordia* qualibet, qualis apud Comicum viri  
 illius erat, cui ne cœlum in se rueret, illa trepida-  
 bant; itemque apud Athenienses campi ductoris il-  
 lius, qui copias e navi educturus, eclipsin solis ad-  
 spiciens, pallio caput obnubebat, reversus unde exierat.  
 Quin neque de *levi* metu impræsentiaram agere no-  
 strum est, qui plane neminem præter illos percel-  
 lit, qui viros dum se profitentur, feminas re ipsa  
 agunt, seu quod idem est, femineum sub virili ge-  
 runt habitu pectus: Immo de *justo metu*, qui a-  
 lias *potentialis* dicitur, ne nunc quidem agere con-  
 silium est, quique ab eo incutitur, cui eundem  
 injiciendi jus competat. Frustra enim, si de hoc  
 sermo esset, institueretur quæstio: de *obligatione* illius  
 perpetiendi, quum nemo sit, quin intelligat, quid ad  
 illud dubium respondendum sit. Igitur non nisi gravem  
 metum, eumque injustum disquisitionis nostræ obje-  
 ctum esse volumus; illum, puta, qui in quemlibet  
 etiam fortissimum cadit, qualis oritur ex repræsenta-  
 tione mortis minime evitabilis; nec non membro-  
 rum mutilationis facta denunciatione & denique  
 earum in instanti rerum privatione, quæ apprimè  
 ad vitam conservandam faciunt, supellectilis, famæ &  
 quæ id genus sunt aliæ res, mobiles sive immobiles.  
 In illa vitæ retinacula, si præter jus & fas manus  
 violentas quis injecerit, prout non potest non con-  
 sternari & animo dejici, cui vis illata fuerit, utrum  
 ad præstandum, de quo conventum fuerit, obliga-  
 tus sit censendus, nec ne, Juris Naturalis problema  
 est;



est, super quo, ancipiti Marte, juris utriusque periti diu confligere, nostræque in præsentî industriæ exercendæ curriculum esse volumus. *Dolus* quid importet, nemini ignotum esse potest. Est notio per se indifferens planè. Abstrahendo a dolo *bono*, seu solertia, quâ noxam quis ab injusto homine intentatam a se ipso aut proximo suo avertere satagit, per *dolum* heic loci intelligimus nosmet calliditatem fallaciamque ad circumveniendum imprudentiam & simplicitatem alienam præter jus adhibitam. Coincidit in illo sensu dolus cum *fraude* ceu malæ fidei commento quocunque. Hujusmodi peritiam & improbum astum ex genere malorum esse, nemo non videt, quidquid pro vindicanda *pia fraude* sua moliantur pontificii versus nostræ religionis socios, qui veritatem Christianam suâ sinceritate & divinitate coruscare, neque ad sui confirmationem artibus veteratoriis, in scriptura prohibitis, indigere instant & urgent. (a) Porro cum sit nobis controversia de *fide juratâ* præcipuè, utrum eandem in casu dato violare honestatis sit? observamus in antecessum etiam, quod cui jusjurandum exprimitur non debe-

(a) Majoribus nostris in papismo, imprimis illis, qui de piis fraudibus, & earum moralitate in scholis rite instituti erant, adeo non dolus & fraus, Syethice *list* ex genere malorum fuit, ut magistros artium quoque *Maistera* i *Bokalist* appellarint. Pertinet eodem omnino etiam vox *Bokarger*, quo prædicato insigniuntur in libro Evangeliorum Gothico, *juris peritus* & in monumentis veterum versatissimi quicunque, Syethice *Strisflârde*.



debeat esse *Atheus*, homo ab omni religione purus, cujusmodi hominis statum apud Sinenses olim cum virtute conjunctum fuisse, hujus seculi doctores nonnulli urgent (b). Neque qui *rationis expertus est*, in hunc centum venire potest; frustraneum enim est obligare eum, qui dependentis existentiae suae notionem nullam formare potest, & perinde ullius obligationis neque capax est. Quid? quod ejus neque propugnationem, laborem nostrum esse volumus, qui temere occasionem ipse dederit juramento sibi extorquendo; quamvis de conscientia ejus quid dicendum fuerit, non æque facile pateat. Igitur illius causam saltem suscipimus disceptandam, qui absque omni culpa sua, eo pervenerit, ut pro vita redimenda pecuniæ magnæ pretium latroni, sacramento accedente jurisjurandi, promittere cogatur.

## §. III.

**M**Aajoris evidentiae causa his ita expositis, ad rem progrediemur ipsam. Cum vero obviam nobis sese offerat, gravis adversaria, hominum putata eruditionis laude florentissimorum, quos a se invicem distantes, & quod dicitur toto cælo dissentientes offendere periculosum existimo, mihi satis erit heic loci recensione defungi summorum nominum, quæ collatis signis affirmativam modo tenere, iterum aliorum affirmationi nonnihil derogare sustinere. Illorum qui pactum migrari nulla parte posse putant primipilus GROTIUS est, cujus castra

(b) *Wolffius* de sapientia Siharum Confusianâ. p. m. 14.



castra sequuntur ZENTGRAVIUS, OSIANDER, WOLFIIUS, (Hieronymus) ZIEGLERUS, alii. Eorum qui pro adversante sententia calamos arripuerunt antesignanus PUFENDORFFIUS est, cujus sententiæ assensum suum adscripsere CUMBERLANDUS, HOCHSTETTERUS, BUDDIUS, THOMASIIUS, TREVERUS, WILLENBERGIUS, WINCKLERUS, GRIBNERUS, & ceteri. Horum causa cum armis argumentisque ad probandum fortioribus succincta mihi obveniat, adeoque post illa principia tutiore omnino loco memet collocatum videam, ad ciendam pugnam intrepidum memet adversanti parti exhibebo, & ne qua parte noceant, quæ in nos tela torserint, remis velisque quod dicitur, efficere conabor.

§. IV.

**Q**uibus suam defendere conantur sententiam, qui a nobis dissentiunt, rationes plures sunt. Primo verò omnium, robur eidem accedere exinde sibi persuadent, quod omne *juramentum* de re *possibili* atque *licita* obliget. Ast quid hinc resulteret ipsis patrociniis, certe non videmus. Ambabus, quod urgent; iis concedemus manibus, modo probent *juramentum* metu extortum esse possibile & licitum. Omnia verò potius, quam hoc eosdem fore probaturos, certo existimaverimus. Possibile quidem esse potest physice, ast non moraliter, hinc quoque illicitum. Diximus moraliter impossibile; idque non gratis. Quicumque enim aliquem præter omne jus ad aliquid cogit, ille non agit Juri Naturæ convenienter, consequenter injusti quid committit.

mittit; atqui latro absque jure omni, dum memet sollicitat & cogit ad abdicandam, & quod magis est, ad ejurandam, in sui favorem, non exiguam partem bonorum meorum, Legi naturali disconvenienter agit. Igitur quod injustum est, patrat. Quod vero injustum est, illud Lege Naturæ prohibetur: Porro: quodcunque legibus repugnat, illud est moraliter impossibile, juramentum hujusmodi, vi antecedentium, pugnat & repugnat. Ergo, ut supra diximus, moraliter est impossibile. simulque illicitum. Ad impossibilia vero nulla datur obligatio. Uti vero illicitum est juramentum hoc ipsum a parte torquentis, ita ex eodem fundamento, scilicet per repugnantiam legis, a parte torta illud fieri neque fas est. Quisquis enim Lege Naturæ tenetur ad suam, salvo jure proximi, perfectionem promovendam. Qui autem bona latroni defert, is perfectioni, quam promovere deberet, non parum derogat; consequenter legem transgreditur. Porro respectu ceterorum societatis membrorum, utpote quorum cum damno conjuncta est hujusmodi in possessionem prædonis rerum translatio, impossibile idem censendum erit Juramentum. Licet enim directè non lædantur; indirecte tamen, quatenus auxilio, quod sibi polliceri potuissent, quamdiu infons dominus & possessor rerum suarum maneret, non destituuntur modo, verum periculo etiam exponuntur, ne a prædone, accessione bonorum hacce proposito suo ho-



fili exesequendo magis idoneo facto, iisdem afficiantur malis, eadem petantur violentiâ.

§. V.

**U**Rgent deinde nominis Divini reverentiam requirere, ut quod juramento promissum fuerit, præstetur. Pietati & religioni male consultum ire, inquit, omnem, DEO teste, datam fidem, & mox ludibrio habitam; id quod fieri dicendum est, si dominio & usû rei promissæ stipulantem alteram partem defraudaverimus. Stat pro illa sententia HIERONYMUS, WOLFIIUS in sua ad Officia Ciceronis luculenta commentatione, cum *Christiano non expedire ait, ut iurjurandi religionem pecuniæ posthabeat. Optio datur;* inquit, *a latronibus, utrum pecuniam solvere, an perire malis. Illa verò optio Tua est, numquid Numinis obtestationi speciem utilitatis posthabere velis. Quid, quod illud timendum etiam, ne sæpius delusi latrones in captos tanto magis inde sæviant.* In illum modum WOLFIIUS. Sed falsum est; immo falsissimum, nos DEO quid in juramento promittere, & novam, præter promissum, inde oriri obligationem. Per juramentum enim confirmatur saltem prior illa, quatenus per idem provocatur pœna Divina, si promittens eandem violaverit. Ubi verò nulla subest obligatio, ibi ulla neque obligationis confirmatio; adeoque juramentum tale certe nullum. Denique quæ quæso! religionis, quæ pietatis habenda ratio, in illius favo-

B

rem

rem expeti postularive potest, qui Jovem non irasci, id est, nullas impietati pœnas, constitutas esse opinatur. Ponamus ex mente GROTII, eum qui juraverit, licet qui promissioni juratæ causam dedit, nullum jus consequatur, DEO tamen obligari ad præstandam rem jure jurando stipulatam. Apparebit non e longinquo, spero, quam frivola sponte sua inde quoque fluat consequentia. Tum enim nunquam is, qui juramentum ab altero acceptat, eundem obligatione solvere valeret, nec ullius contractus illicitus, jurejurando confirmatus, unquam solutus dici posset; adeoque per obligationem hanc DEO debitam non libertas solum nefaria quævis patrandi concederetur, verum ad peccandum etiam, suo quodam modo, quisque determinaretur, id quod vel conceptu, nedum dictu impium est censendum. Exemplo forte evadet res illustrior. Sit aliquis, qui scelesto cuidam homini, vel sub repræsentatione præsentissimæ mortis, vel alia quacunque sollicitatione execrabili a se postulanti, ut patrem suum occidat, ejusque sibi caput tradat, jurejurando obstrinxerit se impietati mentis ejusdem satisfacturum. In illo casu, nullum quidem jus a sua parte malignum hominem consequi voti impetrandi irreligiosi sui, quisque videt. Sed cum ex sententia GROTII ea natura, eaque indoles sit juramenti, ut indivulso nexu cum eodem conjuncta sit obligatio, ita ut ab invicem separari nullo queant modo, quæritur, utrum jurans nilominus obligatus sit, qui votum præstet, & ad actum



Etum deductâ re extremè impiâ, pestiferam alteri voluptatem apportet? Vix quemquam, cui mens sana in corpore est sano, hoc existimaverim fore admissurum. Dices forte: DEUS tamen perjuros punit, idque satis severe & graviter. R. Non ita illud intelligendum, quasi ideo eos pœnis afficeret, quod non omne promissum indistincte præstiterint, sed quia frustra & audacter ad omniscientiam & justitiam provocaverint divinam, & ostentui quasi attributa hæcce summæ Majestatis habuerint. Præterea, si vel concederemus, postulatum hocce, quod tamen ante modo negavimus. Si forte videatur juramentum hocce habere naturam voti, tenendum, *“quod non stringat illud, nisi a DEO acceptetur. Unde vero constabit”* *“mibi DEO probari ut ego innocens me bonis meis spoliem, & illa in impium nebulonem conferam, ne ille gratis sceleratus fuerit.* Quod DEUS hujusmodi acceptet vota, eo minus est credibile, quod eo ipso finis per Legem Naturæ intentus everteretur, tranquillitas nimirum atque felicitas cum publica tum quoque privata; ea quæ non posset non corruiere, si latronum & maleficorum quorumvis solertia atque malitia, bonis innocentum, veluti fomento excitari deberet & corroborari. Cum enim videret prædo tam feliciter processisse scelus suum, alios in dies agredi grave non duceret, adeoque *de emendatione vitæ ipsius, ceu bono aliquo morali*, actum esset. Quo nomine iterum, legi naturæ contraria juramenti



*menti ejusmodi exsecutio* erit censenda. Præclare in rem hanc CICERO, (Lib. III. de Offic.) “ut, si unum-  
 “quodque membrum sensum suum haberet, ut pos-  
 “se putaret se valere, si proximi membri valetudi-  
 “nem ad se traduxisset, debilitari & interire totum  
 “corpus necesse est: sic si unusquisque nostrum ra-  
 “piat ad se commoda aliorum, detrahatque quod  
 “cuique possit, emolumenti sui gratia, societas ho-  
 “minum & communitas evertatur necesse est; nam  
 “sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat,  
 “quam alteri acquiri, concessum est non repugnante  
 “natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis  
 “nostras facultates, copias, opes augeamus.

## §. VI.

**C***onsensum* ulterius in jurato hujusmodi pacto, u-  
 tramque facere paginam asserere non dubitant,  
 qui suum nostræ sententiæ consensum adscribere de-  
 tractant. Ubi verò in præsentī facto consensus adfit  
 aliquis, & in quo fundetur idem, certe non cuivis  
 percipere pronum est. Consensus enim est libera vo-  
 luntatis determinatio ad rem aliquam vel apprehenden-  
 dam vel repudiandam. Præsupponit ergo voluntatis  
 usum. Quis autem dixerit eum; qui ab altero ad-  
 transferendum gratis dominium in bona sua cogitur,  
 hoc ipsum velle? Voluntatem natura ferri ad ea quæ  
 bona sunt, quisque novit; bonum omne illud dicitur,  
 quod perfectionem promovet nostram. Ast bonis se  
 exuere, num perfectionem est promovere? Vix alius  
 quis-



quisquam id sibi repræsentabit tanquam bonum, nisi qui mente fuerit captus. Quid? quod propriè neque velle ejusmodi quid dici potest, inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam homo destitutus. Voluntas an non nititur illa intellectus prælucente lumine, quo in præsentis negotio penitus & omnino caret? Quid aliud quæso! voluntas est, quam facultas ea appetendi, quæ intellectus distincte nobis repræsentavit, tanquam bonum. Objicies vero: Ubicunque minus malum præ majori eligitur, ibi est libertas, (nam electio est effectus aut si dicere mavis, consecrarium libertatis) consequenter libera voluntatis determinatio; Atqui hic minus malum eligitur, cum quis evitandæ mortis (quæ rerum omnium naturalium maxime horrenda est) causa, pecuniam aut bona sua latroni paciscendo defert; Ergo hic consensus. *Resp.* Ubicunque quis se ipse ad agendum non determinat, ibi nulla libertas, quia deest spontaneitas ceu pars libertatis; in hoc casu jurans se ipse non determinat, cogitur enim a latrone: ergo nulla hic libertas, consequenter nullus veri nominis consensus. Et si vel idem adesset maxime, quis ex eodem quæso! pacti hujusmodi jurati ratihabitionem omnem derivare poterit? Requiritur enim ab altera parte jus acceptandi. Sed unde in præsentis negotio istud? ex injustitia forte? Negant id quotquot saniorum Moralistar. tueri voluerint nomen; & negandum omnino est, quamdiu lex illa persistit. *Neminem lade, & quamdiu cum*  
irreli-



irreligionariis, pro vero assumere noluerimus, homines fungorum more e terra exortos, adeoque nihil sibi invicem debere; & demum præceptum de *pactis servandis* absolute spectatum, neq; fontem esse agnoverimus omnis obligationis & justitiæ naturalis. Ne quid de eo dicam, quod, concedat Grotius ipse *ex injustitia nullum jus nasci* posse. (a)

## §. VII.

**N**EC sententiæ officit nostræ, *quod pacta, socialitatis conservanda gratia, non sint rumpenda; eo minus ea, quæ juramento fuerint confirmata;* quia latro extra omnem socialitatem est constitutus, adeoque ex eadem, jure sibi nullum polliceri potest patrociniū. Quod latro nihil minus, quam membrum sit socialitatis, id ex ipsa indole hujus affectionis naturæ rationalis plus satis constat, quippe quæ eodem præcise spectat, ut nemo aliis occasionem det sui lædendi, nec ansam quærat ipse aliorum lædendorum. Contendunt quidem latronem ab omni juris societate non esse excludendum, idque exinde probare annuntur, quod latroni depositum sit reddendum, ignoto ejus domino. sed quam parum in rem præsentem momenti conferat illa instantia, ex se quisque non difficulter videt. Accedit, quod omnia, quæ quis nullo stipatus jure, ab altero extorsit, restitui debeant, Præstat igitur restituen-

(a) Lib. 2. J. B. &amp; P. Cap. XIII. §. 14.



stituenda, licet jurato promissa, retinere, quam perperam tradita multis dein molestiis gratis sæpe repetere atque recuperare,

§. VIII.

**I**N ceteris devicti ad scripturam refugiunt, in suam trahentes partem, quæ extant Psalm. XV: 4. Juratus in damnum suum non mutat. it. Ezech. XVII. 12, 13, 15. Ubi reges Hebræorum a propheta increpantur, quod fidem juratam Babylonii regibus non servassent. Sermonem vero in his & similibus Sacræ Scripturæ locis de materia juramenti licita, esse, quotusquisque est, qui non intelligat. Aliter ergo si quis hæc interpretatus fuerit: in *Scripturam* injuriosus censendus, quippe *quam* malifico *Javentem* facit; id quod dictu nefas est. Quod insuper ad minimum ideo juramentum hoc servandum, ut scandalum, ne quis frustra jurasse videatur, evitetur, credant alii atque alii, sciendum illam neque dubitationem multo cum pondere conjunctam esse. Licet enim temeritatis quid hic subesse concedamus, quatenus coactio tamen adest; & coacto; nisi in quantum ipse in culpa fuerit, nihil imputatur, nullum hic obligationi, vel eo respectu, relinquimus locum; nec ullum hinc scandalum majus oriri, nobis pervaserimus, quam si quis, ad votum matrimoniale metu & repræsentatione mali alicujus gravioris compulsus, promissum idem, sui juris factus, iterum resciderit.

## §. IX.

**Q**uid de *juramento silentii*; ad quod viator a latrone adactus fuerit, sentiendum: ex dictis facile constare existimaverimus. Urgent Dürrius, Steuberus, & cum his Theologi nonnulli hominem ejusmodi, non sine summa in personam latronis injuria, magistratui eundem manifestare posse, si eandem, quæ sit, cognoscere eidem contigerit. Locum ubi versata sit & circumstantias alias specialiores determinatè indicare posse ajunt; sufficereq; officio Magistratui debito præstando, si in genere eundem moneat de liberandis viis publicis a prædonibus, ut tempestive cogitet. Quatenus verò juramentum hocce jure meritoque in eorum referendum est numerum, quæ proximo officiunt & suspicionem movere possunt inirà cum latronibus occultæ societatis: eandem circa fidem jurejurando præstitam hanc ipsam, quam circa antecedentia, fovemus sententiam. nempe quia circa objectum injustum versatur, proinde neque obligatoriam esse,

## §. X.

**J**am ad alteram; quam fert rubrum, circumstantiam ut progrediamur, & quid *dolus in juramento* valeat, curatius pensitemus, propositi exigat ratio. Multum dolo faverunt alii; nihil quod obligationem pariat, eidem concesserunt nonnulli. Media hoc in casu via incedere, nos tutissimum judicamus. Dantur enim *casus*, in quibus; *dolus* a parte altera



altera adhibitus valori juramenti nihil detrahit; existunt non raro etiam ii, in quibus, fraudulenter adhibitus ille jusjurandum plane nullum reddat. Evidentius aliquanto hoc ut evadat, propius ad idem animum advertamus oportet. Est in confesso omnibus, qui vel prima in atrio rei literariæ limina salutarunt; *sublata causa*, mentis operatione eadem, certè non procul remotâ, *effectum quoque tolli*. Nec ignotum, quod intellectus noster finitudine quaqua versum circumscriptus, dum falsa rei imagine, per dolum eidem inductâ, decipitur, eandem articulatim, id est distincte sibi repræsentare, & judicium quale ex æquo & bono oporteret, de eadem ferre quoque nequeat. Hinc cum *voluntas*, quæ intellectus repræsentationes sequitur, ad rem hanc falso perceptam fertur: consensus hujus, puta cognoscitivæ facultatis non potest nondici *errore* elicitus, qui num aptus sit ad obligandum, alii judicent. Interim nos putaverimus *errore*, post detectum dolum, ceu *caussa* obligationis datæ, remotô, ipsam tolli obligationem tanquam effectum consensus, uti axioma supra allatum innuit.

§. XL

**H**Oc tamen non in omnem casum quadrare sentiendum est philosophema. Valet in illo, quo jurans aliquid factum supposuisse falsum indubiè creditur, quod nisi credidisset, non jurasset, si enim dubium sit, annon etiam si-

ne bonæ fidei supposito illo, idem fuisset juraturus, alia erit quæstio. Contendit Grotius standum esse verbis, quia simplicitas quam maxima juramento convenit. (a), Pufendorffius vero, alter ille philosophiæ moralis restaurator felicissimus, probabile existimat ne tum quidem juramentum, saltem quatenus errori superstructum fuerit, validum censi debere. Fundamentum, quo hæc ejus nititur probabilitas, est, quia nec jurans, nec juramentum acceptans perspicue satis determinare valet, ut res se habuisset, si alio, non hoc modo fuisset proposita. *Non hic*, quum impossibile eidem sit alterius mentem cognoscere; *nec ille*, quoniam res una eademque diverso tempore & diversâ ratione proposita non æque nobis semper placere soleat. Nostrum si qualecunque hic interponere licuerit iudicium, consultum omnino duxerimus, ut jurans sincere se ipsum probet, num, si ab omni errore immunis fuisset, numquid, inquam, se penes quidquam fuerit, quod, ad jurejurando se alteri obstringendum compellere potuisset, an verò non. Si in recessibus cordis quid animadverterit, quod ad promittendum, aut promissum jurejurando confirmandum ipsum permovere, seposito quamvis errore, poterat, aut, ut verbis uti liceat Ebelingii, *in contrarium non liquido convictus & persuasissimus fuerit, satius erit animoque non male prospicit suo, si Grotii sententiam sequatur.* Quantum ad errorem, si

(a) *J. B. & P. lib. II, C. XIII. §. 4.*



si vincibilis idem fuerit, e, g, talis, qualis adhibita attentione & diligentia debita evitari potuisset, quod sibi imputet, habebit jurans, nec ab implendo juramento ulla ratione liber censendus. Si vero invincibilis, valet de eo partim quod §. X. monuimus, partim quod supra in hac §. adduximus.

§. XII.

**P**Aucis exemplum illud jurisjurandi *Grotio* adeo decantatum, quod *Josua* & primores populi Israëlitici Gibeonitis dederunt, ut consideremus non a proposito alienum videtur. Concedit quidem *Grotius* a Gibeonitis deceptos esse *Josuam* & seniores Israëlis, dum peregrinos illi se simulabant; non tamen inde sequi putat eos pacem non fuisse impetraturos, si quod res fuerat, edixissent, seque ex vicinis esse aperuissent. Nam *Josuam* & reliquos nihilominus ipsis parcitutos fuisse, & salva lege Divina, licet vel nullum intercessisset juramentum, id facere etiam potuisse contendit. Quod dixerunt *Gabaoni*: Fortassis in medio mei habitas, quomodo tecum paciscerer? hunc sensum habere potest, *inquit*, ut interrogarentur *Gabaonitæ* quale pactum desiderarent; sociale an deditiois; aut etiam ostenderent Hebræi licitum sibi non esse, cum quibusdam populis fœdus inire sociale, non etiam ut negarent deditibus ultro sese, vitam relinquere posse. Lex enim Divina, quæ eos populos internecioni devovebat, ex legis alterius comparatione ita erat

erat intelligenda, ut locum haberet, nisi si qui  
 moniti statim facerent imperata. Quod inter alia  
 probat Historia *Rahabæ* cui ob benemerita parcitum  
 est, & *Salomonis*; qui Cananæorum reliquias  
 sub imperium ac tributum accepit (a). Atque  
 ex hac ratione probabili, quod Josua & primores,  
 cognito statu Gibeonitarum, vitæ incolumitatem  
 ipsis promissuri fuissent, juramentum additum  
 valere, ejusque post tot secula violati pœnas sumtas  
 esse gravissimas, DEO auctore, concludit. Ast  
 philosophiam & humanitati superstructam facti  
 interpretationem hanc Grotianam, ceu incertam  
 atque vanam plane rejiciunt alii. Nonnulli, in  
 quibus *Pufendorffius*, dolum Gibeonitarum nec  
 culpabilem, nec proprie mendacium fuisse  
 volunt; Nos vero sicut Grotio, ejusque  
 judicio non simpliciter renunciamus, ita  
 cur a *Pufendorffio* & via, quam ad  
 solvendum problema ille nobis aperuit,  
 prorsus declinemus, ratio nobis neque  
 suppetit idonea aliqua.

§. XIII.

Quantum ad hoc; Hevæos hosce seu  
 Gibeonitas falsos fuisse, & a sensis  
 animi dissidentia verba protulisse,  
 profecto de eo, ceu incerta re  
 aliqua, nemo dubitaverit; eo minus,  
 quod sub illa oeconomia, puta peregrinationis  
 specie non latitaverint solum, verum  
 etiam quæsitum, an non Cananæi  
 essent? rem disertis verbis negarint;  
 quum tamen

(a) J. B. & P. L. II. C. XIII. §. 4.



tamen ex constitutione Divina, videri poterit jus omnino competiisse Hebræis in statum, id est genus & civilem vitæ conditionem eorum penitus inquirendi. Quod culpabilis itidem fuerit dolus hic ipsorum; increpatio verbalis a Josua legatis facta, nec non impositum libertari eorum perenne servitutis jugum plus satis indicat (a). Culpabilis apparet respectu & ratione illa quoque, quod Israëlitarum mentes, quæ jam ante recte stare solitæ fuissent, per eundem, puta dolum, nullo eorum merito delusissent, & a viâ aberrare fecissent. Hinc cum, alieno vitio, in re maximi momenti, & in qua tota pacti jurati vis consistebat; suo verò errore *invincibili* ad promittendam ipsis vitam, *quod alioquin ipsos non facturos fuisse*, verb. 18, 19. & 20. loc. supr. cit. & lex Divina Deutr. VII: 1, 2. ipsis sequenda indicant, traducerentur Israëlità, nullum omnino jurisjurandi hujus adfuisse vinculum, nulla cum obligatione servandi conjunctum fuisse, non pauci sunt, qui existiment. Perhibent de Israëlitis, insuper, qui in illam sententiam descendunt, quod pœnas violati juramenti multa post secula dederint, eam quam non incurrissent, nisi juramentum, licet errori superstructum, aliquid in se vitii & obligationis continuisset; saltem quod ex postfacto, actu & dolo comperto acquieverint, delictum non leve commississe & gentibus de Deo Israëlitis contemtim cogitandi

occa-

(a) Jos. IX. 21, 27.



occasionem dedisse ajunt. Verum cum ex præscripto legis divinæ universalis & particularis retinendæ vitæ jus habuere Gabaonitæ, socialitatis violatæ ul-  
 lius neque rei, nedum suspecti; quo casu perinde  
 fuisse videtur, latebrosa an verò aperta via, ad ju-  
 ris sui, puta æqui bonique finem pertenderint; ex  
 dictis colligimus dolum Gibeonitarum, in contractu  
 super re possibili rite inito, minime illicitum fuis-  
 se, potius fidei & pactorum religionem violaturum  
 fuisse una cum populi primoribus **JOSUAM**, si  
 quam sese gessit, aliter egisset; inque existimatio-  
 nem naturâ æqualium, neque de se male merito-  
 rum humanitatem, stricto rigore inhumaniterque  
 consulisset. Nempe versatur in eo cardo rei (lo-  
 quor ad mentem *Pufendorfii* & ex ore illius) utrum  
**DEUS** per modum præcepti injunxerit omnes &  
 singulos inhabitatores **Canaan** internecioni dare, et-  
 iam eos, qui sponte servitio sese dederint; an non  
 ad limitationem illam omnino respiciendum, quam  
**Deutr. XX. 16.** **DEUS** excisionis mandato suo ipse  
 addidit: *qui imperata non statim facturi essent;*  
*quo intuitu excisio indulta magis quam præcepta Sel-*  
*deno videtur.* Quidquid sit, nostro quantillo judicio  
 ex illis præmissis pro Josuâ subsumtio non ægre  
 fluere velle videtur, quod, dolo deprehenso, ex con-  
 scientiæ, nullo modo erroneæ dictamine, aut, si di-  
 cere mavis, singulari consilio divino strictè jusjuran-  
 dum interpretatus fuerit, & facta demum vitæ  
 veniâ, de servitute, quam ipsa sibi pars altera pa-  
 ciscens



ciscens arcessiverat, non injustam transactionem iniverit.

§. XIV.

**A**D specialiora, quæ circa præsens, quod tractavimus negotium observari merentur, descendere quum nos prohibeat non instituti solum, sed & valetudinis habenda ratio, vela hic contrahentes, coronidis loco *SCHUBERTI*, (a) monitum apponere non extra scopum, neque supervacaneum esse duximus; quod, inquit ille, in hujusmodi casum, de quo sermo fuerit, quis incidit, & scrupulum conscientiæ de juramento hujusmodi sicario aut alii cuicunque nefario homini dato, rescindendo sibi fecerit, melius sibi consulat, si pacto jurato satisfaturus, omnia, de quibus inter eum & latronem convenerit, tradat, quam retinendo, suam oneret conscientiam. Utrunque quidem peccat: Nam si promisso non stat, agit contra conscientiam, licet erroneam; si idem præstet, legem transgreditur de sue perfectionis incolumitatisque suffragatione non negligenda. Sed gravius peccat hoc casu quando a juramento recedens conscientiam ledit; est enim hoc peccatum proæreticum. Et levius peccat, quando, quod juravit, præstat, quippe se tum peccare ignorat. Tale verò de adstricto compluribus nodis problemate hocce *Schubertus* consilium nectit, quod quantum apud mentem timore non inani delibutam

(a) *Phil. Pract.* §. 12, 31, not.

tum, sed æqui rectique consciam pondus habiturum sit, Tuæ, non præter rem, Lector benevole, æquanimitati delatum volo penitius & accurate magis librandum, dijudicandum.

## T A N T U M .





Monſieur  
le RÉPONDANT.

**E**N conſidérant les divers devoirs que doivent  
observer ceux, qui prétendent, au nom d'ami,  
Et en même tems la confiance, que j'ai eu l'honneur  
de Vous témoigner, Et que je Vous conſerve encore: je  
croirois, Monſieur, manquer à mon devoir, Et me  
rendre à l'avenir peu digne de Votre faveur,  
ſi je ne prenois part à Votre proſpérité. Agréez  
donc, que je Vous témoigne par-là la joie toute  
particulière, que j'ai ſouhaitée long-tems, Et  
dont Votre génie, Monſieur, Et Votre diligen-  
te culture des Muſes m'a rendu l'aproche plus  
que certain. Jour, au quel Vous faites connoi-  
tre que le ſavoir en Vous n'attend pas le nom-  
bre des années; jour enfin, qui Vous fraiera le  
chemin aux honneurs deſtinés à Vos belles quali-  
tés; qui Vous procure la grace Et l'aproba-  
tion des gens de lettres, confirme l'amour de  
Vous

Vos très-honorés Parens & excite l'aplaudissement de tous Vos fidèles amis. Je Vous félicite donc, & je souhaite de bon coeur que le Tout-Puissant veuille répandre de plus en plus sur Vos études ses précieuses bénédictions; à fin que Vous en recueilliez le fruit en son tems. Il ne me reste plus, qu'à Vous assurer, que je suis avec toute la sincérité possible,

MONSIEUR ;

Votre Très-obéissant  
serviteur

M. RENNERUS.

Natif d' Abo,

